







180

13

1709

1

PRORECTOR  
ACADEMIAE VVITTENBERGENSIS  
GEORGIVS  
BEYERVS,

J. V. D. Pande&t. P. P. Curiae Provinc. & Scabinatus  
Electoralis Saxonici Assessor, nec non Facultatis Juri-  
dicæ h. t. DECANVS,

CIVIBVS ACADEMICIS  
S. P. D.





## I. N. J.



Ocus Scripturæ Apoc. VIII. 3. lapis quasi of-  
 fensionis est, in quem non pauci solent of-  
 fendere. Verba ejus hæc sunt: *Tunc alius An-  
 gelus venit, & stetit apud aram, habens thu-  
 ribulum aureum, & dati sunt ei suffitus multi, ut of-  
 ferret cum precibus Sanctorum omnium super al-  
 tare aureum, quod est ante thronum.* Ut enim de  
 cæteris verbis nunc nihil dicamus, operæ tamen-  
 pretium est, ut unice circa *Angelum illum alium*, &  
 quisnam ille fuerit, solliciti simus, non solum quia  
 antiqui æque, ac recentes, Interpretes in ejus ex-  
 positione nimium variant; sed & quod hæretici,  
 præprimis Pontificii, non alium, quam creatum  
 quendam Angelum, quo Angelorum preces & inter-  
 cessiones pro hominibus, quas erronee statuunt,  
 aliquo colore pingant, intelligendum esse volunt, id  
 quod iis minime concedendum est. Videamus  
 ergo primum, quæ ratione Interpretes variant. Ex  
 Patribus & antiquioribus Ecclesiæ Doctoribus per  
*alium illum Angelum* intelligunt Angelum increa-  
 tum, filium Dei, unicum Sacerdotem nostrum, *Au-  
 gustinus, Primasius, Anselmus, Haymon, Ambrosi-  
 us, Beda, Ansbertus, Rupertus Abbas, Glossæ utraque,  
 Thomas Richardus, Viegas, Menochius, Hugo, Espen-  
 seus* in Appendice Comment. in Epist. ad Timoth.  
 Tract. de Christo Mediatore Cap. 9. Conf. Rainald.  
 Cens. Prælect. LXIV. Cui Interpretationi ex nostris  
 ferme



ferme omnes accedunt, *Chytraeus, Flacius, Hoe, Gerbardus, Feuerbornius, Cramerus, Dorschaus, Dannbauerus, Lucius, Cluverus, Glozius*, alique. Neque ab eadem abeunt Calviniani, *Johannes Rainoldus, Zegedinus, Piscator, Marlortus, Bullingerus, Junius, Napirus, Foxus, Rivetus, Pareus, Coccejus, Cappelus, Cotterius, Forbesius*, & tandem reliqui communiter, ut *Zegerus, Gagneus, Ferbesius, Durbanus, Gravium*, & alii. Quamquam vero hic consensum non parvum deprehendamus, inventi tamen sunt, qui ab hac interpretatione secessum fecerunt. Ex nostratibus per Angelum illum *Winckelmannus, Dursfeldius, & Doelingius*, Doctores Ecclesiae orantes intelligendos esse maluerunt, cum quibus quidam apud *Gravium* consentiunt. Sed longius à vera sententia abierunt sequentes. Nam *Bellarminus, Becanus, Serarius, Ribera, Cornelius à Lapide*, Angelum creatum, cumque bonum & sanctum substituunt, quibus, quod mirum est, *Calvinianus Beza* pollicem pressit. Quamquam etiam *Cornelius à Lapide* aliqua ex parte à prioribus abeat, per Angelum hunc alium intelligens Sacerdotem Missaticum, Missam Deo offerentem. *Lyra* maluit *Damasum, Pontificem*, ut & *Alcafer* Charitatem Christianam, & *Brightmannus* Constantinum Magnum, Imperatorem, alique apud *Gravium* eum cæteris prætulerunt. *Ribera & Gagneus* Michaelum Archangelum, creatum & finitum, cui tota Ecclesia permessa sit, unice hic recipiendum



esse pugnant. Superfedemus aliorum quoque interpretationes afferre, cum satius sit uni duntaxat, illique veræ adstipulari. Ea vero est, *solum Christum*, Archi-Sacerdotem nostrum unicum, genuinum Michaelem, Mediatorem nostrum unice intelligendum esse. Est enim is primo, *Angelus*, nomen hoc præ ceteris *Evēgō* *χρῆ* ferens, Gen. XVI, 7. 9. 10. 11. XXXII, 24. XXXV, 11. XLVIII, 16. Exod. III, 6. XXIII, 10. Hof. XII, 4. Mal. III, 1. Act. VII, 35. 1. Cor. X, 9. 2. Cor. V, 19. Ebr. IX, 15. Consentunt hic *Irenæus* Lib. IV. Cap. 23. *Tertullianus* Lib. de Carne Christi, *Justinus* in Apologia ad Antonin. & in Dialogo contra Tryphonem. *Hilarius* lib. IV. & V. de Trinit. ut & *Prudentius* in Apotheosi. Est autem secundo, Christus *alius Angelus*, Angelorum Dominus, cui ipsi serviunt, Matth. IV, 11. Angelus increatus, Angelus æternus, Angelus infinitus, *Angelus foederis*, Mal. III, 1. *Angelus magni consilii*, juxta LXX. Esa. IX, 6. Ergo vere alius Angelus, cæteris non solum oppositus, sed & reliquorum omnium Dominus, & Princeps. Tertio, illa functio, quæ huic Angelo tribuitur, nimirum *habere thuribulum aureum in manu sua, indere suffitus, qui dati sunt multi, ut offerat cum precibus orantium Sanctorum, super altare aureum, quod est ante thronum*, nemini, nisi soli Christo, Sacerdoti infinito & æterno, Psal. CX, 4. Ebr. V, 6. VII, 17. potest competere. Ludit hic *Grotius*, dum ex Judæorum Synagogæ eum adducit, qui cæcis Judæis Angelus appellatur, quasi is hic proprie intelligendus sit. Rectius illi faciunt,



ciunt, qui allusionem statuunt ad Archi-Sacerdotem  
in V. T. Quippe cui id competebat, ut aureum thuri-  
bulum manu sua portaret, & suffitus pro populo co-  
ram Deo in Altari aureo faceret. Exod. XXX, 3. 7. 8.  
Eo autem typo Christum esse præfiguratum, Paulus  
Apostolus discrete docuit, Ebr. IV, 15. IX, 7. 11. 12. sqq. Cap.  
X, 30. sqq. Quarto, quod solus Christus hic locum ha-  
beat, ex eo manifestum evadit, quia hic *alius Angelus*  
ut Mediator inter Deum & homines sistitur. Is vero  
solus Christus est, asserente Paulo 1. Tim. II, 5. *Unus est*  
*mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*, Ebr.  
IX, 15. *Itaque Christus ob id novi Testamenti mediator*  
*est, ut morte ad redemptionem earum transgressionum*  
*intercedente, quæ fuerant sub priore Testamento, qui*  
*vocati erant promissam æternam hereditatem acci-*  
*perent.* Et Cap. XII, 24. *Accessistis ad novi testamen-*  
*tum mediatorem Jesum.* Nec solum Mediator, sed &  
*solus Mediator* inter Deum & homines est, nullum a-  
lium admittens. Esa. LXIII, 3. Gal. IV, 4. Ergo omnino hic  
alius Angelus, non solum ab aliis angelis, sed & ab o-  
mnibus, qui non sunt Christus, vere distingvendus est.  
Quinto, thura hic preces significant, Psal. CXLI, 2. Hæ  
vero ut à Patre exaudiantur, solus hic mediator facit.  
Joh. XVI, 23. *Quicquid petieritis Patrem in nomine*  
*meo, dabit vobis.* Cap. XIV, 14. Pertinent huc verba  
Johannis Hesselii, Lovaniensis olim Professoris fami-  
geratissimi, qui in Commentario 1. Tim. II, 5, inter cæ-  
tera, hæc præprimis contra Pontificios, ejusdem Reli-



gionis socios, notatu digna habet: *Ob eam causam dicitur Christus, mediator Dei & hominum, quia Deum hominibus reconciliat, placando eum super peccatis commissis, & impetrando nobis spiritum obedientiae, quo deinceps placeamus Deo.* Itaque ex dictis manifestum est, sanctos homines & Angelos non esse mediatores, ut scriptura loquitur: quia non possunt per seipos Deum placare: Imo, ut impropria locutione mediatores dicantur, non tamen Mediatores esse possunt Dei & hominum, sed si ita loquendum est, mediatores ad mediatorem, ut ait Bernardus: opus est mediatore ad mediatorem Christum: nec alter nobis utilior, quam Maria. Quicquid enim aut Angelus, aut homo sanctus a Deo petit, id petit per Christum, mediatorem, neque ipse ad Deum immediate accedit, ut Christus. Ex quibus verbis recte concluditur, quia Christus solus est mediator Dei & hominum, Ergo etiam solus preces hominum Deo offert, id quod Textus praesens aperte indicat. Sexto, hic ipse alius Angelus, distinctus a ceteris, vers. seq. ignem in terram effundit. Atqui id Christum facere, ipse testatur, Luc. XII, 17. ego veni, missurus ignem in terram. Adjungemus his verbis locum Ezech. X, 2. Siftitur ibi ille indutus vestimentis lineis, qui implevisse dicitur pugnos suos prunis ignis, ex intervallo Cherubinorum, & sparsisse contra civitatem. Sacerdos autem lineis vestimentis indutus erat, ut ex Lev. XVI, 4. manifestum est. Unde Hieronymus in Ezech. IX. fatetur, priscos Scriptores locum hunc Ezechielis de Chri-



Christo interpretatos esse. Quare cum Angelo Johanneo idem tribuatur officium, quod Angelo Ezechielis tributum est, Christusque ipse id de se pronunciet, quis non videt, Angelum hunc alium à reliquis, non alium, nisi Christum esse? Id quod Interpretes antiquiores & recentiores recte viderunt, atque eandem ob causam, uti supra demonstratum est, textum præsentem de solo Christo, Angelo increato, & fœderis, magnique consilii, exposuerunt. Quæ explicatio sic uti certissima clarissimaque est; ita merito Pontificiorum corruptelis opponitur, & præfertur, utpote, qui in explicationibus suis erroneis Christo Salvatori nostro eripere satagunt, quod ipsi soli competit, quo errores suos impie invecos, & magis impie defensos, aliquo saltem colore depingant. Rectius nos Salvatorem nostrum, & Mediatorem unicum ex vero Dei verbo pro illo alio agnoscimus, & pie veneramur, hac præprimis Angelorum festivitate, non creatis, sed increato Angelo à nobis celebranda. Habemus in eo Angelum & Nuncium salutis nostræ. Missus est à Patre, ut nos filios Dei redderet. Gal. IV, 4. Si autem filios, ergo etiam hæredes Dei, Rom. VIII, 17. & cohæredes sui ipsius. Angelus hic infinitus non solum septem creatos Angelos secum habet; sed plures, & pene innumerabiles. Millies mille ministrant ei, & myrias myriadum Angelorum stant coram eo. Dan. VII, 10. Apoc. V, 11. Utitur vero iisdem non tam pro se, quam pro nobis. Sunt enim Angeli *spiritus, emissi à Christo*



17  
sto ministerii causa propter nos, heredes salutis futu-  
ros. Ebr. I, 14. Ipse est, qui praecepit Angelis suis de no-  
bis, ut conseruent nos in omnibus viis nostris. Ps. XCI,  
11. Exeius mandato castra metantur Angeli Jehovae  
circa nos, eum timentes, & eripiunt nos. Ps. XXXIV, 8.  
Solutus hic Angelus Angelorum per Angelos suos ob-  
sepire solet domos nostras, ne Satan nobis nocere pos-  
sit. Job. I, 10. Is duobus Angelorum exercitibus pius  
Jacobum comitatur. Gen. XXXII, 1. 2. Is Elisam & eius  
famulum per Angelos ducit & custodit, ne ipsis ho-  
stes nocere possint. 2. Reg. VI, 17. Is nec nobis deerit,  
si modo eundem timeamus, vereque veneremur.  
Preces, si unquam, certe hodie nobis necessariae sunt.  
Ecce Angelum hunc, is promovet, juvatque nostras pre-  
ces, ut Deo acceptae & exorabiles evadant. Agite ergo,  
o pii, o devoti, uti semper, ita inprimis tempore hoc  
templa arasque frequentate. Angelus hic orat pro no-  
bis, oremus & nos, ne pereamus. Angelus hic dona,  
multiplicia ad aram stans accipit, data enim ipsi omnis po-  
testas in caelis & in terris est. Matth. XXVIII, 18. Et ho-  
die nos quoque dignatur, ut ad aram aliquid a nobis acci-  
piat. Accipiet autem, ut locupletius id nobis reddat.  
Accipiet, quod dabimus Ecclesiae Scholaeque ministris,  
& Ipse tamen sibi vindicabit, largissimeque reddet. Matth.  
XXV, 40. Luc. X, 16. Quod nos videris facere, Vos obse-  
cro, etiam facite. Habemus enim utriusque communem  
Mediatorem, & Salvatorem Jesum. Is liberet nos ab om-  
ni malo, & impleat omni bono! P. P. in Acad.  
Wittenbergensi, Fest. Michaelis, A. E. C.

M D C C I X.

VVITTENBERGAE,  
Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.




ULB Halle

3


005 361 753











180  
13

1702

PRORECTOR  
ACADEMIAE VVITTENBERGENSIS  
**GEORGIVS  
BEYERVS,**

J. V. D. Pandect. P. P. Curiae Provinc. & Scabinatus  
Electoralis Saxonici Assessor, nec non Facultatis Juri-  
dicae h. t. DECANVS,

**CIVIBVS ACADEMICIS**  
S. P. D.

